7

XXXVIII

[illegible]

Ex [illegible]

A1

ORATIO FVNEBRIS IN OBITVM ILLVSTRIS, AC REVERENDISSIMI D. ANTONII ALTOVITAE, ARCHIEPISCOPI FLORENTINI,

FLORENTIAE HABITA IN AEDE SS. APOSTOLORVM,

A R. P. M. Christophoro Amarono Senensi Theologo, & Concionatore Augustiniano.

CVM LICENTIA, ET PRIVILEGIO.



FLORENTIAE,

Excudebat Georgius Marescottus.

MDLXXIIII.

CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMOQ. I. V. PERITISSIMO VIRO,

D. DOMINICO BONSIO

Patritio Florentino,

Sereniss. MAGNI ETRVRIAE DVCIS, Auditori, ac D. Stephani Religionis pro eius celsitudine Praesidenti,

F. Christophorus Amaronus Senensis, Augustiniani Instituti Sal.

NON erat mihi in animo Doctor Excellentiss. Funebrem illam Orationem, quam in obitum Illustris, ac Reuerendiss. D. Archiepiscopi lucubraram, ac pro rostris in AEde SS. Apost. habueram, in manus aliorum obuersari: idque maxime duabus de causis: Altera quod optime quidem noueram, omnem orationem sapientissimis sententiis, grauibusq. verbis ornatam, ac perpolitam esse oportere, idque ægre ab eo præstari, qui neque apte neque distincte ornateq. (quod proprium Oratoris summi atque perfecti est) dicere posset: quæ omnia cũ nec mediocriter quidem in me esse intelligerem dominationi tuæ sæpius petenti, eã dare denegarã: altera illa causa est, quòd in re tam leui, ex qua certe plus iacturæ, quam laudis, vel gloriæ mihi venturum animaduerterem, periclitari meum rude licet ingenium non operæprecium esse putabam. Cete-

rum cum cõplurimis inſtãtibus, ſæpiusq. præcipuè dominatione tua id à me flagitãte denegare minime potuerim: cuius auctoritatem, quæ & ipſi magno Etruriæ DVCI in conſiliis, & deliberationibus maximis grata eſt: plurimi quidẽ ſemperfeci, eiq. nũc refragari turpiſsimũ duxi; tãdem eam imprimendã curaui, & quo tutius per obtrectatorum voculas vagari poſſet, tibi ornatiſsimo, doctiſsimoq. viro dicare volui, qui vti meam in te egregiam voluntatem, animiq. ſtudium promptiſsimum, paratiſsimumq. & antea, & nunc maxime cognoſces, ita hac in re tuam auctoritatem mihi aduerſus calumnias maleuolorum præſidio: apud bonos vero ornamento, & honori futuram confido.

DVM coràm tota mente, atque omni animo in hoc acerbißimo ſpectaculo omnes, voſque præſertim Illuſtris Altouitæ Proſapiæ nobilißimos viros, quibus tam grauis eſt, atque moleſta hæc ingens iactura, vel potius inexpectatus, & repentinus huius noſtri Reuerendiß. Archiepiſcopi caſus, intueor, maxima mea cum moleſtia vos pio, iuſtoque mœ rore commoueri, & præcipuo quodam dolore angi video; Eum ſiquidem ante oculos mortuum cernitis, qui ob innumerabiles animi ſui dotes, probitatem, ac liberalitatem, cunctis quam gratißimus, acceptißimusq; foret. Quòd ſi tãta pietate priſcos illos, eos qui viuorum ſodalitio relicto, ad cælicolarum ſodalitiũ euolarunt, ſi modo quoquo pacto noti, ne dum aliqua conſangui nitate, aut affinitate coniuncti, lacrymis, lamentationibus, lugubri denique habitu in funus perſecutos conſtat (vti Chriſtum Redemptorem noſtrum, cuius omnis actio noſtra eſt inſtructio, Lazzarum ſibi carißimum proſecutum accepimus) quis noſtrum (amabò) talis, ac tãti viri obitum non cõlacrimabit? Quis dum ingentem hanc iacturam diligentißime conſiderabit, non commouebitur? Fas eſt, gratisq; hominibus dignum, Auditores piißimi; vt Paſtorem carißimum, parentem ama bilißimum, fletu maximo, ſummisq; laudibus ad ſepulcrum vſque comitemur; poſteaquam eundem ſuperſtitem (ne nota adulationis nobis inureretur) laudare minimè decuit, ſapientißimo illo Salomone præcipiente. Ne laudaueris hominem in vita ſua, quam ſententiam D. Gregorius his explicat verbis; Lauda poſt vitã, magnifica poſt conſummationem. Quòd tunc eo libentius obſeruandum, quo virtutem continuis augeri laudibus, fieriq; præſtantiorem conſtat; nec ſolum in his qui ipſam poßident, verum etiam qui illius nobilitatem, ac præſtantiam

cum

cum audiant, eamdem postea appetentes, omnibus viribus sibi comparare student. Ceterum ne vos diu remorer, ad nonnullas (quandoquidem omnes huius Religiosissimi viri laudes recensere perdifficile sit) mox me confero. Quod dùm pro mea virili præstare satago linguis quæso animisq; fauete.

Si quando vnquam intentis oculis, singularem quemquam, celebremq; virum intuiti estis, intuemini (precor) Reuerendiss. ANTONIVM, *Patria Florentinum, Genere Altouitam, Professione Theologum; dignitate Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Florentinum Archiepiscopum. Quales, quantosq; viros armorum, ac studiorum genere celebres Florentissima Ciuitas ista protulerit, alueritq;, quod nimis longum esset, silentio mihi prætereundos censeo. Prætereo etiam incolarum omnium religionem priscam, cuius quidem dilucidum argumentum præbet hæc laudabilis, & antiqua consuetudo, quam vsque ad hanc nostram ætatem seruari animaduertitis, cuiusq; originem minime ignoratis, nobilium inquam familiarum T osorum, To singorum, Vicedominorum, & Cortegianorum, quæ omnes vel nullis initiatæ sacris, huius Archiepiscopatus interregno, in administrationem temporalium succedunt, illumq; vsque eò administrant, dum ipsi in demortui locum, nouum Archiepiscopum possessorem constituant; Summorum Pontificum priuilegio, propter summam in Deum pietatem; Sacrosanctæ Ecclesiæ maximam beneuolentiam, & vehemens in patriam studium, quod in illis ferè primitiuæ Ecclesiæ exordiis, suis facultatibus, consiliis, ac proprio sanguine, Idolatrarum seruitute oppressam Ecclesiã, ac summo interitus discrimine constitutã, & vnà Pastorem, diuina adiuti ope, atque auxilio, liberarēt. Hæc omnia, & simul agri huius Florentini bonitatem; & fertilitatem; fructuum, abundantiam, amœni aeris temperiem,*

ma-

magnificentiam, & pulchritudinem Urbis, ædes superbissimas, regia Palatia, Templa opulentissima, miroq; artificio constructa, totam denique Ciuitatem frequentibus incolis repletam, taceo, quandoquidem multa alia de huius viri laudibus nobis dicenda sese offerant, omnesq; sciant non celebres, atque illustres viros, locum facere, sed viros locum celebrem, & gloriosum. Ecquis vestrum ignorat Deum Opt. Max. Pastorum stabula, in quibus non lucernæ, sed sydera splendent, sedes, & beatorum domicilium fecisse? Betheleem paruulam Urbẽ celebrem suo Illustrissimo, & sacratiss. Ortu reddidisse? Quis non hercle fateatur vti Romam M. T. Cicerone, Mantuam Uirgilio, sic vestrã hanc Urbem celeberrimis serenissimisq; viris longe nobilitatam? Grammaticis, Hystoricis, Poetis, Iurisperitis, Phylosophis, atque Theologis? taceo nunc Mediceorum Familiam, cuius magnitudinem, ac felicitatem, prudentiam, & sapientiam totus orbis Terrarum admiratur, & colit. Hos omnes prudentissimus, & solertissimus Archiepiscopus egregiè imitatus est, & ita nobilitate, dignitate, doctrina, & moribus fulget inter eos, vt inter sydera sol. Quod si Patris gloria filius est sapiens, vt est Salomonis sententia, patriaq; Patris similis, quod principium, vti pater generationis nuncupatur: quantus cumulus splendoris, & gloriæ huic Florentissimæ Urbi ab hoc Alumno accessisset; nisi inuida, atque immatura mors obstitisset? Iustam, & honestam itaque mœroris, & luctus rationem habetis, Nobilissimi Ciues.

Sed quanto maiori dolore ex hoc obitu affici debeat Altouitarum stirps, quæ quamquam temporis antiquitate, fortunarum copia, Illustrissimorum virorum affinitate, Principũ familiaritatibus sit præcellens, & ex ea quotidie velut ex æquo Troiano celeberrimi clariq; viri prodeant, Equites ornatissimi,

mi, Comites Illustres, Vexilliferi sapientissimi, Doctores Eximij, Prælati Relligiosissimi, Summorum Pontificum affines, et quæ etiã nobilissimarum Familiarũ affinitate in dies reddatur Illustrior Medicea, Soderina, Bonsia, Saluiata, Strozia, Castria, Otteria, Antinora, Nerlia, Minerbetta, Hieronyma, Canisiana, Ginora, Nigra, Gualdensium, præterea Vicetinorũ, & Gherardesshæ Comitũ: aliarumq; Illustrium domorũ, quas ob tẽporis angustiã, missa facio: in hoc tamẽ vnò spes omnis posita videbatur, qui incredibilem semper à teneris sui expectationem concitauerat, quam quò facilius non substineret solum, sed longe etiam superaret, Cum primum per ætatem sibi licuit, animum suum omnibus virtuti bus, modestia, venustate, benignitate, morum integritate, ita excoluit, vt omnes suæ vrbis decus, & ornamentum fore putarent. Nam quod virtutũ, quod litterarum genus ab ineunte ætate hic noster Archiepiscopus non sibi comparare studuit? qui vt omnibus scientiis imbueretur, grammaticæ primum, gradatim deinceps, poeticæ, rethoricæ, logicæ, & legibus operam nauauit, philosophiam tandem summo animi studio amplexus est, quò facilius Reginam omnium scientiarum Theologiam acquireret, quam veluti sponsam suam, & amauit plurimum, & illi toto animo sese dedit, in qua quantum profecerit, & quantum excelluerit sacra colloquia sententiis vndique referta, frequentes sermones aurei, & illi quidem ad Clerum habiti: Synodi Prouincialis piissima decreta: super sacramentis tandem catholica, ac doctissima illius scripta ad communem omnium vtilitatem ædita testantur. Taceo quoque quam egregie delectationis gratia se exerceret, vt aliquando otium, omnium malorum escam fugeret: Prætereo multa alia, quæ in Arist: subtilissime quidem, ac doctissime conscripsit, præcipue in philosophiam practicam,

& in

& in Metheorologicam; O virum indefessum, tantisq; scientijs ornatũ, vt iure optimo omnes percalluisse putetur. Hinc sobrietas illa victus, quē semel in die nulla alia ratione capiebat, nisi quo honestissimis suis studiis commodius, subtiliusq; incumbere posset. Hinc illius cum litteratissimis viris frequens consuetudo, cuius amplissimæ, ac liberalissimæ ædes, tamquam vnicum omnibus virtute præditis receptaculum; patuere semper. O lumen fulgidissimum, quod ne diu sub modio lateret, sed super candelabrum, vt luceret omnibus qui in domo Dei sunt, ad huc ætate iuuenis, morum tamen grauitate senex, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Clericus Cameralis, ac paulo post duobus Pontificiis interregnis sacri Collegij Decanus efficitur: qui ea in rebus illis gerendis solertia, cura, ac dexteritate vsus est, vt tandem sanctissimus D. Paulus eius nominis III. Serenissimæ huius Ciuitatis Archipræsulem designaret. Qui tunc vero vel maxime D. Pauli sententiam sibi cordi esse monstrauit: Oportet inquit ille, Episcopum irreprehensibilem esse, postea quam nullo vmquam sui Archiepiscopatus tempore turpitudinis, vel infamiæ labes illi aspergi potuerit. O Altouitam integerrimum atque doctissimum: hæc est lucerna (Auditores ornatissimi) ardens, & lucens, de qua in Euangelio Christus, cum duas perfecti hominis maximeq; Ecclesiastici condiciones demonstrare vellet; qui duabus quidem rationibus suis populis opem semper atque auxilium ferens, dupplici laude Archiepiscopatus dignitatem sanctissime gessit; lucerna si quidem hæc duo præstat, quæ vtraq; ab vna eademq; ducunt originem; calorem scilicet, & splendore, ab vno tamen oleo fieri manifestissimum est. Calore vtique exemplum, splendore doctrinam demonstramus, ita vt vita & doctrina, quæ ex intima caritate pro oleo significatam, ad Christi exemplar verba rebus con-

iungens (vt magnus vocaretur in regno cælorũ, & faciens, & docens) suæ sacrosanctæ Ecclesiæ semper prodesse, & sciuit & voluit. Hoc silentio præterire non possum quod tamen vobis omnibus exploratißimum esse scio, quam semper in contemnendis corporũ voluptatibus continens, quam ab omnibus libidinum illecebris abstinens fuerit. Illud obsecro diligenter obseruate: Vna est omnium populi, ac Dei vox, hoc omnes loquuntur, & sentiunt; eum perpetuã virginitatem seruasse, id quod quibusdam significationibus, & casibus velut diuinis argumentis præpotens ille Deus declarare voluit. Dum (mirabile quidem auditu) sæpius, & domi, publicè, atque in æde sacra aduersum eum candißimam volasse columbam, quæ non secus, ac puritate sua traheretur in capite, atque in purißimo eius sinu (vt viri fide digni testantur) quieuit, suisq; sacris, pudicisq; manibus, tamquam ea quæ domi animalia aluntur, & tangi, & capi (omnes alios fugiens) passa est, quasi aperte alarũ clangore significaret, se ob puritatem vitæ, cuius causa illum plurimum adamaret, cum eo sociaretur. O virum admirabilem, O virum integerrimum omniq; imitatione dignum, cui, & communis omnium vox, & columba ipsa demissa cælitus Spiritus Sancti Symbolum singularißimum detulit testimonium. Verum id multo clarius patuit; Nam festis diebus, sanctißimis virginibus dicatis, sumptis antea proprijs manibus sacramentis in Ecclesia; ac si nemo purißimo illi viro, immaculatum Christi corpus porrigere dignus esset, nullo ferè dolore (vti Beatus Ioannes virgo quo die ægrotare cæpit) decessit Religiosißimus Pastor in die nempè sanctorum Innocentum, vt vel sic de eo verum Dei verbũ cognosceretur, Innocentes, & recti adhæserunt mihi.

Hic

Hic forsan admirabimini illum ita Dei beneficiis cumulatissimum, & quonā pacto nouus hic inter Chaldeos Abraam (pie ac pace omnium sit dictū) aut Iob inter struthiones Dei famulus tam corruptis hisce temporibus, vitam incorruptam seruarit; Ad hæc sanctissimi viri D. Augustinus, & Hieronymus respōdent. Naturam gratia vincit. Rursus, Ama studia scripturarum, & vitia carnis non amabis.

Admirabimini præterea quo nam pacto fieri possit, virum hunc tantæ probitatis, tanteq; religionis, breui temporis momento, morte sublatum. Ad hæc D. Hieronymus; dolorem mortis congruum est eum non sentire, qui carnis voluptates nō est expertus; ita vt quod antea scandali causam præbuerit, nūc si optime considerabitis, materiem deuotionis, summæq; religionis affert; Accedit ad hoc, quòd omnes sciunt quàm bene, ac Christianæ ad mortem fuerit animatus, ita indies viuens, ac si indies ex hac vita sibi discedendum foret. O Beatum Pontificem, o vere Altouitam, altæ; & singularis, angelicæ potius, quam humanæ vitæ. In carne si quidem præter carnem viuere, vt est D. Hieronymi sententia angelicum est non humanum: de illo itaque tamquam de nouo quodam astro, nunc cælū incolente nobis est dicendum. Etenim dum in terris fuit, exemplari vita, sanctissimisq; moribus adeo se extulit, vt à peccatoribus tūc segregatus, excelsior, nunc atque sublimior sit cælis factus. Altouita inquam adeo altus, vt veluti inter tot animalia homo, inter tot homines Angelus, inter tot Angelos lucidissimū sydus eniteat. Quis itaque Altouitā coràm nō admiretur? quis non perpetuò reuereatur? Hic certe inter eos ascribendus est, qui cùm transgredi potuerit, non est transgressus, facere mala, & non fecit. Ideoque eius bene gesta, & singularia dona stabilita sunt in Domino, & cum purissimis Innocentibus

qui cum mulieribus non sunt coinquinati, digna præmia consecutus, virgo Innocens in altis exultat. O virum terq́, quaterq́ Beatum. Quid mirum præstantissimi Auditores, si Deus ipse Benedictus, cui beneplacitum est habitare in bonis, in hoc tandem, vt quiesceret, felicissima huius bonitatis, omina præposuerit? Dum in sacratissimo die Christi Domini nostri (res profecto obseruatu digna) publice sacra faciente Pastor ille, quem super vos ipsi vidistis, instanter in populum irruens, litteris quibusdam allatis, summa deuotione, ac reuerentia debito, ad eum tandem accessit, pedes illi osculatus est, munera pro facultatibus obtulit, ac deinde clamitans, iustitiam petiit. O prodigium inauditum, o rem admirandam si modo post rerum euentus, prodigia à Deo Opt. Altissimo ob aliquem notabilem rerum exitum demissa sunt obseruanda. Non ne vos omnes (gratissimi Auditores) scitis, pastores in sacris litteris, semper boni alicuius præsagium extitisse? Gratiores qui Deo fuerint pastores fuisse quis vestrũ ignorat? sub naturæ lege primus fuit Abel, in quo sibi bene Deus complacuit, non ne hic Pastor? At Moyses legis scriptæ caput, mediator inter Deum, & homines optimus: non ne Pastor? Dauid vir secundum cor Dei; Pastor. Christus tandem Dei filius Euangelij legis lator, cum pastoris excellentiam demonstrare vellet, se Pastorem dicere, et profiteri nõ est dedignatus. Hoc vix nato cum ab Angelis salus gentibus nunciaretur, nõ ne primi Pastores hoc accepere nuntium? Primi omnium qui Deum in carne viderent pastores: pastores eum cognouerunt, adorarunt, ac præcones facti, Dei pacem atque gloriam super nos ortam prædicarunt. O quam magnifice, o quam excellentes Pastoris condiciones, quos quanta beneuolentia Deus noster sit prosecutus, nihil est quòd longa oratione demonstrẽ.

Quare illud vobis scire sit satis Pastores, felicia semper portendere auguria. Pastor Christus, hunc nostrum sanctissimum Pastorem tandem inuisit ea die, qua mortalis factus à Pastoribus fuit benigne in præsepio salutatus, qui non aliter ac diuinus nuntius, ea deuotione, & reuerentia, qua tantus Pastor fuerat dignus, exceptus est; quinque nummos obtulit, symbolum premij, & mercedis illius, quam breui defunctus, esset accepturus: vti ille qui singulo denario accepto quinque esset superlucratus. Importune iustitiā petiit, quasi significaret, inuitaretq; illum, vt libero suo consensu finem erumnosæ vitæ imponeret, fruiq; vellet in cælis illis premiis, quæ ob iustitiam incorruptam sibi deberentur, cum talentis acceptis bene sanctéq; Dei gratia vsus esset, O casum inauditum, o fortunatissimum augurium, illa enim eadem hora post triduum (sacratum numerum quo Christus hæbreos allocutus, vsus est. Soluite Templum hoc & post triduum reædificabo illud, suum gloriosissimū corpus significans) die sanctorum Innocentū, Innocens ille manibus, & mundo corde ex hac caduca fragiliq; vita discessit, spiritus tamen vnde fuerat profectus euolauit ad Cælum. O felix anima quæ nunc æuo sempiterno fruitur. Nulla profectò ratio (Christianissime Cætus) cur eius caussa tantopere doleamus, nobis accidit, quodcumque accidit: quandoquidem Romanam Ecclesiam tanto lumine conspicuam, vrbem Pastore tam vigilantissimo, Serenissimos Principes, amico tam singulari; Nobiles, tā optimo atque dulcissimo patre. Litteratos, Mæcenate liberalissimo. Plebē, patrono fidelissimo. Pupillos, protectore acerrimo. Viduas, iudice piissimo; omnesq; simul carissimo parente, effera mors orbauit. Nobis igitur dolendū quod illo fructu careamus, quem continue ex eius consuetudine atque cōspectu percipiebamus. Proh dolor quò nam posthac nos miseri

om-

omniq; ope, atque auxilio prorsus destituti, confugiemus? heu miserabiles egenos, ad quos nunc pietatis gratia meam Orationem conuerto, posteaquam ab hoc piissimo Pastore duplici panis genere, & domi quotidiano, & spirituali in Ecclesia ali consueuistis, ad quem nam inopiæ, & egestatis tempore vobis erit refugium? Heu vester hic officiosissimus, ac prudentissimus Ioseph humi iacet exanguis, O crudele, o immaturum, o acerbum nimium funus. Nūc certe, toto animo perturbatus, totaq; mente confusus, ac ferè præ nimio dolore amens, quid plura loquar? de quibus cōquerar? ad quos in tanto meo mœrore, ac luctu confugiam? ad te forsam Benignissime Pater, qui semper gratissimas aures cunctis te adeuntibus prebere consueuisti, alloquar? Fare Amabilissime Pastor: cur te solum inter nos omnes immotū conspicio? num fieri potest, vt nunc ita tuis rebus cōsulas, itaque immotis oculis contemplationem illam admireris, vt præter tuam consuetudinem, nostri penitus obliuiscaris? nostri te non misereat? Cur nunc ferè, dolore, ac luctu confectos, nos deseris? quibus miseros relinquis? quibus nos maxime afflictos, ac perditos commendas? Ubi nam in posterū virum affectu venerabilem, vultu iucundum, eloquentia grauem, consiliis prudentem, sermone blandum, animo candidum, fide integrū, caritate feruentem, Deo acceptissimum, nobis gratissimum, populis vtilissimū, vniuersæq; tandem Reip. Christianæ fructuosissimū reperiemus? Nō mirū hercle (mæstissimi Auditores) si in præsentia ob huius sanctissimi viri inspectatum, ac damnosum interitum, ita angi itaq; cruciari vos omnes videam; non equidem facile est, virum huius similem reperire, fide tam singulari: Christianum iustitia, & pietate tam eximium; Religiosum, clementia, & sanctitate, tam insignem; Doctorem pietate, ac virtutibus tam ornatum; Prælatū bonis atque exempla-

ribus

ribus moriribus, tam conspicuū; fateor ingenue quidem multos hac nostra tempestate reperiri, qui aliqua insigni virtute, ac animi dote sit præditus, talem vero, in quo vim suam omnem natura collocarit, vbi nam inuenire possimus, prorsus ignoro. Grauissima est hæc iactura, maximā certe iniuriam mors nobis intulit. Sed quid? Num dolore nimio, mærore lacrymisq; confecti tandem desperabimus? Unguibus ora dilaniabimus? caput in parietem impingemus? Uel quod deterius est diuinā prouidentiā culpabimus? Absit, absit á nobis tantum scelus: quin potius subeat in animum nostrum diuina illa Christianæ cōsolationis plena diui Iob sententia. Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum. Cogitandum enim nobis est, nos ea lege atque condicione viuere, vt mortem tandem, tamquam naturæ commune debitum eidem persoluamus. Illud sit vobis rursus nobilissimis Altouitis suis præcipuum refrigerium: dulcissimum vestrique studiosissimum Dominum ANTONIVM ex hoc terrimo, mortaliq; carcere ad eum, a quo fuerat demissus, ascēdisse, iam iam perspicuum vobis est, illum religioso atque optimo fine summis laudibus omnem suæ vitæ curriculum comprobasse, nam si dies alius indicat de alio, et supremus de omnibus: adeo sancte, & catholice, adeo pie, & religiose, extremum diem clausit humillimus dei seruus ANTONIVS, vt merito illud uertatur in dubium. Num vlulatibus, lacrymis, ac fletibus sit prosequendus: an vero festis omniq; gaudio profusis celebrandus caremoniis. Modum itaque tantis fletibus, tantisq; suspiriis statuatis obsecro Viri Religiosissimi. Nam sanctissimus ille Altouita ad Cælum è terris est raptus. Iacet humi mortuus vt videtis: in Cælis vero (vti pie credendum est) natus. Non enim obiit, sed abiit, & ad altissimam illam

lam vitam inter beatos emigrauit: ad quam tandem peruenire, vt contingat prestare dignetur, qui est in sacula benedictus. Amen.

DIXI.



FLORENTIAE,

Excudebat Georgius Marescotus.

MDLXXIIII.